



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

3. Quatuor quæ abducere solent à Confeß. Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

PARS TERTIA.

Quatuor quæ abducere solent peccatorem à Confessionis Sacramento, & contra ea remedia.

1. **P**udor & verecundia admissorum peccatorum. Huic contra opponere oportet Dei scientiam, ea omnia cognoscentis (Confessarius enim illius locum tenet) & futuram in die iudicii eorum omnium, nisi per Confessionem deleantur, notitiam & confusionem.

2. Timor & horror poenitentiae: contra quem ob oculos constituere oportet Christi, martyrumque cruciatus, & gehennæ tormenta & supplicia.

3. Metus incurrendæ alicuius infamiae eorum Confessione, & temporalis damni, si quid restituendum iubeatur. Contra huc obijcere oportet æternam ignominiam, & bonorum æternorum exitium, ruinamque certissimam.

4. Diffidentia, & desperatio alicuius peccati vitandi, & contrariæ virtutis adipiscendæ, ut castitatis, &c. Contra hanc diffidentiam, timoremque nocturnum opponenda est deliberatio alacris non amplius peccandi; gratia, quæ ad id præstandum in Sacramento confertur; subsidia, orationesque
Con-

Confessarij, Angeli custodis, Patroniq; sui
tutela & præsidium.

PARS QUARTA.

*Certi casus, quibus Confessio fit in-
valida, ac nulla, ideoque
iteranda.*

1. **Q** Vando siue verecundia, siue malitia
omittitur mortale aliquod peccatū.
2. Quando inter confitendum mē-
dacium dicitur in materia peccati mor-
talis, & quando constat, & scitur esse mor-
tale.
3. Quando obliuioni traditur peccatum
mortale; quod defuerit diligentia necessa-
ria ad sui præparationem.
4. Quando deest propositum & voluntas
relinquendi peccati mortalis, vel occasio-
nis certæ, aut valdè probabilis illius incur-
rendi.
5. Quando quis vinculo Excommunica-
tionis hæret implicitus, neque ante eius
procuratur absolutio.
6. Quando poenitens momenti alicuius
res habens deligit sibi Confessarium igno-
rantem, ac malè peritum, versatumque in
casibus conscientiae.